



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

II. Calamitatum genera duo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

bonus. Vident Beatorum multi è cœlo animas amicorum suorum apud inferos, Christus Judam, Jonathas Saülem, David Absalonem, tranquilli tamen ac læti vident: nobis idem accidet, cùm in cælo erimus. Unde ea ex tam tristi spectaculo tranquillitas? Sciunt à Deo esse, & malum esse damnatis, non tamen malum in se, quia *bonus est Dominus, & omnia, que vult bonus, bona sint necesse est.* Animæ in Purgatoriis ignibus summâ propensione feruntur ad videndum Deum, nollent tamen obscuros illos carceres exire, nisi per se, aliósve, justitiæ divinæ ad libellam satisfecerint: quia sciunt Deum aliter nolle, & bonum esse sciunt, quidquid Deus vult.

II.
*Calamita-
tum gene-
ra duo.*

Idem nobis, ex ejusdem veritatis cognitione, faciendum est in hujus vitæ calamitatibus. Earum duo sunt genera: aliæ enim ab ipso Deo immediatè, ut vulgò loquimur, accidunt; aliæ, mediatè. Immediatè à Deo proficisci dicuntur, quæ per causas naturales & necessarias fiunt, ut ab aëre, à ventis,
ab

ab anni tempestatibus, à bestiis : cujusmodi ferè sunt pestis, sterilitas, paupertas, ægritudinum pars magna, inundationes, fortuita à fulminibus incendia, corporum animorumque intemperies improvifa. Inter mala à Deo immediatè obvenientia etiam illa connumero, quæ per dæmonem ejúsve artes infliguntur. Cùm enim dæmonem non videamus, quod nobis per illum accidit, facilè velut à Deo ipso accidat accipimus. Præterea scimus, dæmonis arbitrio non omnimodam ad nocendum libertatem à Deo permitti, sed malam ejus voluntatem restringi, colligatamque attineri canis istar, qui non incurrit, nisi quatenus ab hero solvitur. Velex Matthæi capite 8. id patet, ubi dæmonum legio per Christum in porcos ingredi finitur : tum ut porcinatorum ingeniorum homines intelligamus esse diabolo gratissimam sedem : tum ut Christi potentia ex damno ingratorum Gerasenorum, & ex dæmonum supplicibus postulatis, agnosceretur : tum maximè, ut disceretur, nihil dæmoni licere in vilia animalia,

80 BONA VOLUNTAS

malia, multò minùs in homines, nisi Dei permissu. Alterum calamitatum genus est ab hominum mala voluntate, seu nostrâ, seu alienâ: ejusmodi sunt, bella ex consiliis Achitophelis, calumniâ à senibus Sufannæ insidiantibus, lites à mendaci meretricula filium contubernalis suffurata, incendia segetum ab Absalonis emissariis, cædes fratrum ab Abimelecho, aliâque ejusmodi quotidiana.

III.
*Conformatio
voluntatis in
priori malo-
rum genere.*

In priore malorum genere difficile non est, suam cum divina conformare voluntatem. Cùm enim ibi nîl videamus, nisi Dei providentiâ, non dubitamus quin à bono bonum profluxerit, etsi ratio nobis sit ignota: occurritq; tunc nobis idem, quod Augustino: *Quidquid accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere nisi de voluntate Dei, de Providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius: & si nos non intelligimus quid, quare fiat, demus hoc ipsius Providentia, quia non fit sine causâ.* Explicat hoc Dorotheus familiari similitudine. Nactus fuisti amicum verum, since-